A. D. 1912. Nrus VII.

CURRENDA

ACTA PII PP. X.

EPISTOLA.

AD R. P. LEOPOLDUM FONCK, S. J., PONTIFICII INSTITUTI BIBLICI PRAESIDEM, DE DIPLOMATIS FORMULA DISCIPULIS OPTIME MERITIS AB EODEM INSTITUTO APOSTOLICA AUCTORITATE TRIBUENDI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Ad pontificium Institutum Biblicum, operi feliciter inchoato, fastigium quodammodo imponentes, cogitationes iterum curasque convertimus. Cum enim sit in exitu primum trennium, quo studiorum ibidem curriculum absolvitur, neque desint, qui periclitata, superioribus annis, laudabiliter doctrina se pares sentiant ultimo eique maximo subeundo experimento, tempus iam postulat, ut diploma, cuius impertiendi fecimus Instituto facultatem per litteras *Iucunda sane* die XXII. martii MCMXI., qua sit perscribendum formula, decernamus. Eam igitur hisce verbis conceptam volumus:

„Cum Reverendus Dominus.... condicionibus omnibus a legibus Pontificii „Instituti Biblici requisitis satisfecerit et legitimis Doctorum suffragiis in triplici „doctrinae experimento.... probatus fuerit, vi facultatum ab Apostolica Sede „Nobis concessarum, ipsum lectorem seu professorem Sacrae Scripturae decla- „ramus et pronunciamus, eidemque authenticum documentum hisce concedimus „testimonialibus litteris, sigillo Instituti ac Praesidis subscriptione munitis“.

Visa quidem haec est formula Academiae proposito congruere eique opinionem conciliare maiorem; cum eorum, qui facto periculo statuta retulerint suffragia, non doctrinam tantum commendet, sed ius quoque iisdem tribuat ad rei biblicae magisterium suffragantibus Ordinariis, gerendum. Inde autem hoc etiam sequetur commodi, ut, qui diplomate aucti sint, docendo, scribendo sibi viam muniant ad academicos gradus, quos conferendi uni pontificiae Commissioni Biblicae ius potestatemque reservamus.

Auspex divinorum munerum Nostraeque testis benevolentiae apostolica sit benedictio, quam tibi, dilecte fili, ceterisque Instituti doctoribus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II. iunii MCMXII., Pontificatus Nostri anno nono.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO DE SACRAMENTIS

DECRETUM

CIRCA IMPEDIMENTUM EX ADULTERIO CUM ATTENTATIONE MATRIMONII PROVENIENS.

Non raro accidit, ut qui ab Apostolica Sede dispensationen super matrimonio rato et non consummato, vel documentum libertatis ob praesumptam mortem coniugis obtinuerunt, ad consulendum suae animae saluti, novum matrimonium in facie Ecclesiae cum iis celebrare velint, cum quibus, priore vinculo constante, connubium mere civile, adulterio commisso, contraxerunt.

Porro quum ab impedimento proveniente ex adulterio cum attentatione matrimonii, quod obstat in casu, peti ut plurimum haud soleat dispensatio, Ssmus D. N. Pius Papa X., ne matrimonia periculo nullitatis exponantur, de consulto Emorum Patrum sacrae huius Congregationis de disciplina Sacramentorum, statuit, ut in posterum dispensatio a dicto impedimento in casu concessa censeatur per datam a S. Sede sive dispensationem super matrimonio rato et non consummato, sive permissionem transitus ad alias nuptias.

Quoad praeteritum vero eadem Sanctitas Sua matrimonia, quae forte ex hoc capite invalide inita fuerint, revalidare et sanare benigne dignata est.


Idque per praesens eiusdem sacrae Congregationis decretum promulgari iussit, quibuslibet in contrarium non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem sacrae Congregationis, die 3. mensis iunii, anno 1912.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus.*

L. S.

Ph. Giustini, *Secretarius.*



S. CONGREGATIO S. OFFICII

1.

DECRETUM

DE DISPENSATIONIBUS SUPER IMPEDIMENTO DISPARITATIS CULTUS ABSQUE DEBITIS CAUTIONIBUS NUNQUAM CONCEDENDIS.

In plenario conventu supremae sacrae Congregationis sancti Officii habito feria IV. die 16. aprilis 1890. proposita quaestione: „An in concedendis ab habente a Sancta Sede potestatem dispensationibus super impedimento disparitatis cultus praescriptae cautiones semper sint exigendae“, Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, re perdiligenti exa-

mine discussa, respondendum decreverunt: „Dispensationem super impedimento „disparitatis cultus nunquam concedi, nisi expressis omnibus conditionibus seu „cautionibus“.

Eademque die ac feria Ssmus D. Leo PP. XIII. in solita audientia R. P. D. Adsessori eiusdem supremae sacrae Congregationis impertita Emorum Patrum resolutionem benigne adprobare et confirmare dignatus est.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 21. iunii 1912.

2.

DECRETUM

DE DISPENSATIONE SUPER IMPEDIMENTO DISPARITATIS CULTUS ABSQUE DEBITIS CAUTIONIBUS IMPERTITA.

In plenario conventu supremae sacrae Congregationis sancti Officii habito feria IV. die 12. iunii 1912. propositis dubiis:

1. Utrum dispensatio super impedimento disparitatis cultus, ab habente a Sancta Sede potestatem, non requisitis vel denegatis praescriptis cautionibus impertita, valida habenda sit a non?

Et quatenus negative:

2. Utrum hisce in casibus, cum scilicet de dispensatione sic invalide concessa evidenter constat, matrimonii ex hoc capite nullitatem per se ipse Ordinarius declarare valeat, vel opus sit, singulis vicibus, ad Sanctam Sedem pro sententia definitiva recurrere?

Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, omnibus mature perpensis, respondendum decreverunt:

Ad 1. Dispensationem, prout exponitur, impertitam esse nullam.

Ad 2. Affirmative ad primam; negative ad secundam partem.

Et sequenti feria V. die 13. eiusdem mensis Ssmus D. N. D. Pius divina providentia PP. X. in solita audientia R. P. D. Adsessori eiusdem supremae sacrae Congregationis impertita Emorum Patrum resolutionem benigne adprobare et confirmare dignatus est.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 21. iunii 1912.

3.

DECRETUM

DE PAROCHI ADSISTENTIA MATRIMONII MIXTIS, IN QUIBUS PRAESCRIPTAE CAUTIONES A CONTRAHENTIBUS PERVICACITER DETRECTANTUR.

Cum per Decretum *Ne temere* diei 2. augusti 1907 n. IV. expresse ac nulla facta distinctione edicatur parochos et locorum Ordinarios *valide* matrimonio adsistere, *dummodo invitati ac rogati... requirant excipiantque contrahentium consensum;* graves in praxi difficultates ortae sunt relate ad mixtas nuptias,

in quibus, denegatis pervicaciter a partibus debitis cautionibus, Sancta Sedes, attentis peculiaribus quorumdam locorum circumstantiis, *materialem tantum parochi praesentiam*, per modum exceptionis ac veluti ultimum tolerantiae limitem, antea aliquando permiserat.

Re delata ad supremam hanc sacram Congregationem sancti Officii, cui ex praescripto apostolicae Constitutionis „Sapienti consilio" *integra manet... facultas ea cognoscendi, quae circa... impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur*, atque in plenario conventu habito feria III. loco IV. die 21. maii 1912. praevio Rmorum DD. Consultorum voto, perdiligenti examine discussa, Emi ac Rmi Dni Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, omnibus mature perpensis, decreverunt:

„Praescriptionem Decreti *Ne temere* n. IV. § 3. de requirendo per parochum excipiendoque, ad validitatem matrimonii, nupturientium consensu, in „matrimoniis mixtis, in quibus debitas cautiones exhibere pervicaciter partes „renuant, locum posthac non habere; sed standum *taxative* praecedentibus „Sanctae Sedis ac praesertim s. m. Gregorii PP. XVI. (Litt. app. diei 30. aprilis „1841 ad episcopos Hungariae) ad rem concessionibus et instructionibus: facto „verbo cum Ssmo".

Et sequenti feria V. die 23. eiusdem mensis Ssmus D. N. D. Pius divina providentia PP. X. in solita audientia R. P. D. Adsessori huius supremae sacrae Congregationis sancti Officii impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem benigne adprobare ac suprema sua auctoritate in omnibus ratam habere dignatus est.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali atque individua mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 21. iunii 1912.

L. S.

Aloisius Castellano, *S. R. et U. I. Notarius.*

S. CONGREGATIO RITUUM

1.

DECRETUM

SEU DECLARATIONES CIRCA NOVAS RUBRICAS.

Ad praecavendas dubitationes, quae super recta interpretatione tituli X. n. 2. et 5. novarum rubricarum, quae sequuntur constitutionem *Divino afflatu*, oriri possunt, S. Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, sequentes declarationes evulgare censuit, nimirum:

I. Quandocumque in feriis maioribus Missam propriam habentibus ceterisque diebus, de quibus tit. et num. supracitatis, Missa de feria celebretur, dummodo reapse pro defunctis applicetur, addi potest oratio pro defunctis, in quorum suffragium celebratur, etiamsi in ea agenda sit commemoratio de occurrente festo duplici minori vel maiori.

II. Huiusmodi oratio pro defunctis non excludit in casu orationes de tempore, nisi occurrat commemoratio duplicis.

III. Quando additur ista oratio pro defunctis, non est attendendus numerus orationum, utrum sit dispar an non.

IV. Haec eadem oratio pro defunctis semper recitati debet poenultimo loco inter orationes ea die a rubricis praescriptas vel permissas, non computatis collectis ab Ordinario imperatis.

V. Oratio pro defunctis, in quorum suffragium Missa de feria applicatur, addi potest, etiamsi ea die a rubricis praecipiatur oratio *Omnipotens sempiterne Deus* pro vivis et defunctis, vel *Fidelium* pro omnibus defunctis.

VI. Ut rite legitimeque applicari possit pro defunctis indulgentia altaris privilegiati, oportet, ut diebus, in quibus a novis rubricis permittitur, missa de feria omnino celebretur, addita, ut supra, oratione pro defunctis, pro quibus Missa ipsa celebratur.

VII. Licet iuxta novas rubricas tit. VIII. n. 2. cessata sit obligatio recitandi in choro officium defunctorun, nihilominus adhuc servari debet rubrica missalis tit. V. n. 1. et 2. circa Missam pro defunctis celebrandam, sive in cantu cum praesentia choralium, si agatur de Missa conventuali, sive lectam extra chorum iuxta novas rubricas tii. XII.

Die 12. iunii 1912.

2.

SEYNEN. ET ALIARUM.

DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequentia dubia proposita fuerunt, nimirum:

I. Quando Dominica occurrit a die 25. ad diem 28. decembris inclusive, Rubrica praescribit Officium huius Dominicae die libera 30. decembris celebrandum. Nunc vero pluribus in dioecesibus dies 30. decembris impedita est aliquo festo novem Lectionum. Quaeritur: Quid agendum in casu?

II. Iuxta recentem Constitutionem „*Divino afflatu*", tit. IV. n. 3. festum sanctissimi Nominis Mariae perpetuo assignatur diei duodecimae mensis septembris. Quaeritur ergo: Num ecclesiae, quae hoc festum tamquam Titulare usque ad hodiernam diem coluerunt Dominica infra octavam Nativitatis beatae Mariae Virginis sub ritu duplici I. classis cum octava, ipsum récolere in posterum debeant die duodecima Septembris cum Ecclesia Universali, servatis privilegiis, quae Titularibus competunt?

III. Pluribus in locis festum sanctissimi Nominis Mariae ritu duplici I. classis cum octava recolitur. Quaeritur: An istis in locis Octava Nativitatis B. Mariae Virginis cesset omnino, adveniente festo sanctissimi Nominis; an potius suspendatur tantum, ita ut die decimaquinta septembris agendum sit de die Octava ipsius Nativitatis, omissa commemoratione Octavae sanctissimi Nominis?

IV. E novis dispositionibus saepe accidit, ut festa sive duplicia maiora sive sanctorum Doctorum simplificanda sint ob occursum alicuius festi translati ritus duplicis II. classis. Quaeritur ergo: Num symbolum addendum sit in Missa de isto festo translato, quod per se symbolum non admittat, si in ea facta sit commemoratio alicuius festi occurrentis ritus duplicis maioris aut minoris, quod ius habeat ad symbolum in Missa?

V. Collectae ab Ordinario imperatae, ex novis rubricis tit. XI., omittendae sunt, quandocumque in Missa dicendae sint plusquam tres Orationes a rubrica eo die praescriptae. Quaeritur ergo: An Collectae omittendae sint, quando in Missis privatis, post tres Orationes eo die praescriptas, addita est oratio sanctissimi Sacramenti publice expositi, vel pro Papa aut episcopo in respectivis anniversariis electionis, seu consecrationis aut coronationis?

VI. Cum in tabella Occurrentiae perpetuae nuper ab ista S. Congregatione edita evidenter mendum irrepserit typographicum in quadrangulo, in quo sibi invicem occurrunt Simplex cum Simplici, ubi legendus est numerus 7. est non 8., dubium oritur, an aliud pariter mendum sit in quadrangulis, in quibus sibi invicem obveniunt Duplex maius et minus cum Vigilia Epiphaniae, ubi loco numeri 3. videtur, quod legi debeat numerus 6., eo quod Officium ipsius Vigiliae gaudeat privilegiis Dominicae, ac proinde praevalere debeat, e novis Rubricis, Duplici minori et maiori, quod non sit festum Domini. Quaeritur: An revera in praedictis duobus quadrangulis legendus sit numerus 6., ita ut in casu agi debeat de Vigilia Epiphaniae, cum perpetua repositione Duplicis occurrentis?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit:

Ad. I. Officium Dominicae infra Octavam Nativitatis transferendae ea die ponatur, qua festum minus nobile in occurrentia, a die 29. usque ad 31. decembris, secus peragendum foret, salvis Dominicae iuribus in concurrentia. Quod si omnia festa a die 29. ad 31. decembris occurrentia ritum duplicem I. aut II. classis obtineant, commemoratio Dominicae fiat in Festo, ut supra, minus nobili. In paritate nobilitatis Officium aut commemoratio Dominicae fiat in festo prius occurrente.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad IV. et V. Affirmative.

Ad VI. In tabella Occurrentiae perpetuae menda corrigantur, ita ut in quadrangulo, in quo sibi invicem occurrunt Simplex cum Simplici, ponatur numerus 7. et in quadrangulis, in quibus occurrunt Duplex maius et minus cum Vigilia Epiphaniae, ponatur numerus 6; et Vigilia Epiphaniae, privilegiis Do-

minicae gaudens, tam in occurrentia quam in concurrentia, Duplici etiam maiori semper praeferatur.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 21. iunii 1912.

3.

PLURIUM DIOECESIUM.

DE CONCLUSIONE MATUTINI ET INCHOATIONE LAUDUM PRO RECITATIONE PRIVATA IN TRIDUO MORTIS CHRISTI ET IN OFFICIIS DEFUNCTORUM.

Novo edito Psalterio cum Ordinario divini Officii per apostolicam Constitutionem *Divino afflatu*, pluribus e dioecesibus sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione propositum fuit, nimirum:

Quum in Ordinario divini Officii praescribatur modus Matutinum concludendi et Laudes incipiendi, quoties in privata recitatione istae ab illo separantur; quaeritur: Quid in casu agendum est sive in triduo Mortis Christi, sive in Officiis defunctorum?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re accurato examine perpensa, respondendum censuit:

Ad omnem dubitationem tollendam, in futuris editionibus Breviarii Romanii, singulis diebus tridui Mortis Christi, post IX. responsorium sequens rubrica inseratur:

Si Matutinum in privata recitatione a Laudibus separetur, subjungitur oratio Respice quaesumus Domine, *etc.; Laudes vero, dictis secreto* Pater noster *et* Ave Maria, *absolute a prima antiphona incipiuntur.*

Item in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, post IX. responsorium sequens addatur rubrica:

Si Matutinum in privata recitatione a Laudibus separetur, subjungitur:

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Fidelium Deus, *etc.*

V. Requiem aeternam dona eis, Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.

V. Requiescant in pace.

R. Amen.

Tandem in Officio defunctorum, tam in Breviario quam in Rituali Romano ante Laudes sequens rubrica inseratur:

Si Matutinum, cum unico vel cum tribus Nocturnis, in privata recitatione a Laudibus separetur, post ultimum responsorium subjungitur:

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Deinde dicitur oratio (seu orationes) ut ad Laudes, additis sequentibus:

V. Requiem aeternam dona eis, Domine.
R. Et lux perpetua luceat eis.
V. Requiescant in pace.
R. Amen.

Laudes vero, dictis secreto Pater noster *et* Ave Maria, *absolute inchoantur ab antiphona* Exsultabunt Domino.

Atque ita rescripsit et servari mandavit. die 24. iulii 1912.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

Mutationes inter Venerabilem Clerum.

Praesentatus: A. R. D. Wcisło Joannes, Parochus in Chomranice, ad benef. in Witkowice.

Constitutus: A. R. D. Oleksy Jacobus, antea parochus in Brzesko, administrator vac. benef. ibidem.

Nominati: RR. DD. Kocyan Stanislaus, Senior vicar. cathedr., catech. schol. pop. puer. 4 cl. nom. „Staszic“ Tarnoviae; Orzechowski Bernardus, catech. scholae popul. mixtae 4 cl. in Szczawnica, catech. schol. popul. puer. 4 cl. nom. „Staszic“ in Nowy Sącz; Janik Antonius, Coop. in Czermin, catech. schol. pop. puer. 4 cl. nom. „Kochanowski“ in Nowy Sącz; Dadał Stanislaus, catech. schol. pop. puell. 4 cl. nom. „S. Barbarae“, catech, schol. sublim. (wydziałowa) puell. 3 cl. nom. „Hofman“ in Nowy Sącz et Skura Michaël, catech. sch. popul. mixtae 4 cl. in Baranów, catech. schol. popul. mixtae 5 cl. in Limanowa.

Z KONSYSTORZA BISKUPIEGO.

W Tarnowie, dnia 15. sierpnia 1912.

Ks. Dr Władysław Mysor
Kanclerz.

† Leon
Biskup

Nakładem Kleru Dyecezalnego. Z Drukarni Zygmunta Jelenia w Tarnowie.